

**1960** in portu Caprulano apud ecclesiam.

... SIMA ...  
... ARCA ...  
... NAVER ...  
... LVERE N ...

Valvasoni ms.

Agitur de arca sepulcrali et fortasse de nummis poenae causa solvendis.

**1961** Caorle.

S · R · A · M

I. F. Palladio Friuli 1, 6 (inde Bertoli p. 306 n. 434).

**1962** Caorle.

OLIMPVS LEONIC  
VS·SIBI ET CORPORI  
VRSAE · IVLIAE

I. F. Palladio Friuli 1, 6 (inde Bertoli p. 244 n. 324); Pococke p. 126, 2.  
OLIPVS · LEO·VIC — | VS · SIVI ET · COI . . . RI | VRSE  
IVLIE Poc.

### XXI. OPITERGIVM (*Oderzo*). *Tribu Papiria.*

Opitergii, si excipias inscriptionem tropaei Alpium servatam apud Plinium 3, 20, 136 in antiquissimis quibusque syllogis Cenniniana, Angelicana D. 4. 18, Ferrarini (Trai. f. 100) aliisque relatam cum praescriptione hac ‘*inscriptio e tropheo Alpium Opitergi d. Octaviani Augusti*’, tituli in illis comparent nulli. Primus qui Opiterginos referat est *Marinus Sanutus* tam in itinerario a. 1483 quam in libro epitaphiorum ms. Veronensi, a quo videtur pendere *Ferrarinus* in codicis Parisini addendis et in Regiensi (nam a Traiectino absunt), ita tamen, ut exempla habuerit a Sanuto meliora subinde ii quorum nobis copia est versuumque ordinem retinentia. — Sanutum excipiunt *Hieronymus Bologna*, qui Opitergina exhibet ex lapidibus excepta tam in sylloge primaria (cod. Cicognae 1874) quam in antiquario; *Valvasoni*, qui in schedis servatis cum Muratorianis seriem habet Opiterginam satis amplam ex parte Sanutianae affinem, ex parte aliunde derivatam; *Panvinius*, in cuius sylloge scripta (codd. Vat. 6035. 6036) Opiterginae insunt ex simili nec tamen eadem sylloge profectae. Aldus *Manutius* iunior inter Veneta sua (cod. Vat. 5248 p. 44) per pauca recepit Opitergina; videtur tamen alia habuisse in schedis non servata, cum ab eo *Fonteius* in libro de gente Caesia (1582) accepisse se scribat Opiterginam n. 1986. *Pignorius* in addendis scriptis ad Gruterum (cod. Lugd. Papenbr. 6) Opiterginas quasdam affert, semel descriptorem laudans Hieronymum Alexandrum vel potius *Aleandrum*, unde cum Aleandrinis reliquis hae quoque redeunt inter schedas Barberinas. Complura epitaphia Opitergina Muratorius habuit tam ab Antonio *Scotti Tarvisino* quam ab Octavio *Bocchi Hadriano*, ab utroque ut videtur ex ipsis lapidibus excepta. Paullo post alia addidit Almorò *Albrizzi* in commentariolo de Opitergio (edito in *Memorie storiche che spargansi di settimana in settimana per la colta Europa*. Venetiis 1743. 4 pp. 20) rarissimo hodie mihiique exhibito a Cicogna; usus est Albrizzius etiam schedis Francisci Melchioris Opitergini. Post *Maffeium* et *Lazarum*, quorum ille in museo Veronensi, hic in syllogae Calogeranae vol. 40 (1749) Opiterginis titulus aliquā operam impendit, Io. Dominicus *Coletus Venetus* veteres inscriptiones Opiterginas ita perfecit, ut expectarent typographum. Cuius syllogae dedicatae Iulio Tomitano sub die XIII k. Dec. a. 1785 tria exempla vidi scripta, unum autographum Venetiis in bibliotheca Correr C. 5. 1 cum additamentis scriptis maxime in chartis solutis eidem volumini insertis, alterum ibidem in bibliotheca Cicognae n. 223, ex autographo scripto a. 1788 descriptum a Francisco Negri a. 1799, tertium autographum, olim Iulii Tomitani, deinde Francisci Negri, mox Ortii, nunc bibliothecae municipalis Veronensis (cod. hist. n. CLXXV). Tres libri concordant fere, sed optimus est Correrianus, in quo quaedam additamenta sunt in duobus aliis non reperta. In prae-

fatione Coletus ait collegisse se haec tam ex lapidibus quam ex Melchiorianis schedis, ‘quas et Amaltheorum nobilis bibliotheca et Iulii Tomitani comitis atque Ignatii Zambaldii humanitas singularis suppeditarit’; denique addit Philippum Zanettium Opitergini cleri sacerdotem collegisse marmora parvo volume comprehensa: ‘ea ita probavimus, ut in nostra hac collectione principem locum obtinere illa voluerimus’. Partem horum titulorum Cortenovis etiam non tam in sylloge posuit (nam ibi praeter unam desiderantur Opiterginae) quam misit ad Marinum; nam quae extant Opitergina inter schedas Marinii Vaticanas, Coletiana sunt. Nuper Cantù in compilatione *Illustrazione del Lombardo-Veneto* et maxima et pessima titulos Opiterginos dedit vol. 5 parte 2 p. 693 sq. alios ex Coletto, alios ex ipsis lapidibus domus Galvagniana; adnotavi inde potiora et maxime ibi primum edita. Ipse Opitergium adii a. 1857 quaeque ibi extant, praesertim in domo Galvagna, descripsi.

Opitergii origines latent. Ptolemaeus Concordiam Carnis adscribit, Opitergium Venetis, ut eorum regiones separasse videatur Lquentia flumen. Memorantur Opitergini primum in bello inter Caesarem et Pompeium, quo pro illo fortissime dimicarunt (Liv. ep. 110; Lucan. 4, 462; Florus 2, 13); de qua pugna reliquis auctoribus plenus referunt scholia ad Lucanum l. c. nuper ab Usenero reperta: *Opitergium oppidum est, quod cum Caesare sentiebat contra Pompeium. In qua nave erat C. Vulteius Capito tribunus militum, qui primum suos hortatus est, ut fortiter dimicarent, deinde cum ad deditioem vocarentur, exceptis sex invicem se occiderunt. Propter quod Caesar in solacium Opiterginis in annos XX vacationem (xxu actionem cod.) militiae dedit finesque eorum trecentis centuriis ampliavit*. Marcomani quo tempore obsederunt Aquileiam, Opitergium exciderunt (Ammian. 29, 6, 1). Ad condicionem oppidi quod attinet, coloniam eo nullam deductam esse iure colligemus ex Plinio 3, 19, 130, nec quicquam in contrarium probant coloni Opitergini Lucani l. c. Praefuerunt rei publicae quattuor viri iure dicundo (n. 1978. 1980). Praeterea nominantur *allecti aerario* n. 1978, quod officium similiter redibit in duabus aliis Venetis oppidis Feltria et Vicetia peraeque obscurum. Item hic habemus sacerdotem Salium n. 1978. De seviris modo ingenuae condicionis, modo libertinae et de Augustalibus ab iis diversis condicionis mere libertinae eadem cadunt in Opitergium, quae supra diximus de Aquileia et de Concordia.

Titulos hue rettulimus etiam vicorum proximorum, ut sunt Fratta et Camino, item paucissimos praeterea repertos inter Livenzam et Piave fluvios in pagis Cimadolmo et Godego, nisi quod eruderatos ad Ceggiam n. 827. 865 propter idoneas causas transtulimus inter Aquileienses.

**1963** Opitergii in castro.

I · O · M  
G · LVCIUS  
TERTIVS · PRO  
SE · ET · SVIS  
5 V · S · L · M

Maffei M. V. 377, 4 (inde Donat. 2, 3).

**1964** litteris malis, Francui prope Oderzo in domo Galvagna.

Q · CARMINIVS · Q · L · PHILEROS  
VIRIBVS · ARAM · V · S · L · M

Desripsi.

**1965** Opitergii ‘questo è un sasso oblongo’ VALV.

DE · CAELO  
TACTVM  
ET  
CONDITVM

Valvasoni ms. (inde Mur. 129, 3; Orelli 2482).